

-10261

בבש
Problema Morale 1686. 13
Quid Homini natu-
raliter provitaliceat,

MODERATORE

VIRO Præcellentissimo, Nobilissimoq;

DNO. M. SI: FRIDER.
WOLFFHARDTO,

Ampliss. Facult. Philos. Assessore

longe dignissimo,

Dno. Patrono Fautore ac Præceptore
suo omni observantiae cultu etatem prosequendo,

Specimine Academico disqvirendum.

exponet,

hor. antemerid. in Audit. Major.

AUCTOR

M. JOHANNES JACOBUS
STOLTERFOHT,

Slesvvc. Holsat.

ANNO M DC LXXXVI. ad D. 24. Jul.

Prelo C. FINCELII.

Naturgesch.

2

JOHANNES TAGORE



§. I.

*Vid homini pro vita
naturaliter liceat, non con-
veniunt moralium Docto-
res. Quidam sentiunt vi-
tam omnibus modis defen-
di posse, etiam cum pericu-
lo, imo & jactura vitæ alien-
æ, juris esse concessivi, id
est, dici Juris Naturæ, ne-
gante magis, qvam ajente.
sensu, posseqve invasorem injustum occidi, non qvia
mandatum, sed qvia jure nullo prohibitum. In qva sen-
tentia deprehendimus Thom. qvæst. 64. a. 7. Ludovicum Mo-
linam de J. & J. Tom. 4. disp. 14. num. 1. Joh. de Lugo de J. & J.
disp. 10. sect. 7. num. 154. nec non Guilhelm. Grotium de princip.
J. N. c. 7. qvòd vim vi repellere, omnia jura, omnesqve
leges permittant. vid. Layman. Tom. 1. lib. 3. de Jus. tract. 3.
part. 3. cap. 3. Alii defensionem istam juris naturalis Prä-
ceptivi esse volunt, atque hinc neque a Principe qvidein,
nendum statuto aut consuetudine tolli eam posse volunt.
vid. Petr. Ant. de Petra de potestate Princ. c. 26. adeo, ut ab
ἀὐτοχειρας reatu absolvī nequeatis, qvi, cum vitam
suam adversario eripere potuerit, temere sese truculen-
tissimis ejusdem sistat manibus, qvod volunt B. D. Der-
scheus*

*scheus in Theol. Moral. disp. XVII. qvām non adeo diu sub Praesi-
dio Magnif. Dn. D. Mayeri defendimus §. DC LXXIII.
seqq. p. m. 273. Et Molina Tom. 4. Tractat. 3. disput. ii. Et
disput. 13.*

§. II.

Nonnulli existimant, defensionem sui ipsius per ne-
cem invasoris, certis tantum præceptam esse casibus, si
nempe ea consideretur in relatione ad aliud, & respectus
habeatur ad aliquod bonum, quod per omissionem de-
fensionis simul negligitur. Ut, si defensione nostri bo-
num commune periclitetur, vel familie nostræ præsidii-
um eripiatur, vel aliud magis bonum intervertatur. Qva-
ratione necessariò tenetur miles in excubiis stans se de-
fendere; item qui novit omissione defensionis Princi-
pem, Parentes, Magistratum vite discriminem subituros.
vid. H. Grot. de Jur. B. Et P. lib. 1. cap. 3. §. 7. Aliis id cum-
primis considerandum videtur; utrum, qui se defendit,
in statu naturali an verò in civili degat; in illo concedunt
eam simpliciter, in hoc verò certis limitibus circumscri-
bunt, quando nempē tempus & locus non ferunt, auxilium
Magistratus ad repellendam eam injuriam implora-
ri, quā vita, vitæque æqvipollens, aut irreparabile dam-
num in præsentaneum periculum conjicitur. vid. Puffend.
de J. N. Et G. lib. 2. cap. 5. §. 3.

§. III.

Sunt tandem, ex scitis Christianæ religionis qui su-
am ponunt sententiam, statuentes, licitum quidem esse,
ut is, qui in extremo est constitutus periculo, quo pacto
fieri possit, se defendat, maximo quamvis id sit Adversa-
rii periculo; multò tamen laudabilius putant, si ejusmodi
homo se interfici permittat, quam invasori damnum il-
lud.

Iudicferat. Cum s̄epius accidat, ut ejusmodi homo pes-
simus, q̄i alterum innocentem invadere conatur, adeo
sit oneratus vino ut mentis suae plane impos, nec de DEO
Creatore suo Opt. Maximo, neque de suam cogitet salu-
te; ideoque dum in peccato mortali extinguitur, pericu-
lum damnationis incurrit. Si igitur in tanto anima ejus
versatur periculo, justitiae legibus conveniens minime il-
lis videtur, ut minus nostrum malum, alterius malo ma-
ximo depellatur. Nostrum malum *minus* vocant, q̄ia
in tali periculo s̄epe sumus sobrii, ac colligere possumus,
q̄uām pessimē actum foret de adversario, si in præsentib-
us ipſi mors esset obeunda peccatis. Deo itaq̄e T.O.M.
animam nostram pio commendare possumus suspirio,
q̄væ tūm certissime servabitur, & hoc pacto etiam adver-
farii animam crudelissimis eripere Doemonum vexatio-
nibus, dum propter illud homicidium factis suis dignam
dat judici poenam, atq̄e sic, ut beatis associari q̄veat,
poenitentiam agit sufficientissimam. Vid. D. Henr. Muller.
in der Theologischen Erörterung zweyer Fragen/ qv. 2. Ob ein Christ
&c. aliiq̄e qvosl. l. c. allegat.

§. IV.

Qvod ad primam sententiā attinet, ad palatum ea
propterea nobis non est, q̄ia jus Naturae permisivum
propriè plane non datur, qvod probamus tūm à defectu
obligationis, q̄ia nec obligat ad actum, nec ad actus o-
missionem; tūm à defectu objecti, q̄ia jus permisivum
non versatur circa ea, q̄væ moraliter & in se honesta vel
turpia sunt; tūm denique à defectu actuum legi naturæ
propriorum; permisio enim non est actio legis natura-
lis, sed actionis negatio; ut eruditè satis ostendit Excell. P.
Röhrensee, Patronus & Hospes noster omni observantiae
cultu ætatem devenerand. Colleg. MSC. ad Th. X. cap. 2.

A 3

Guil.

Gvili. Grot. de princ. jur. natural. Altera itidem non placet, si absolute sumatur. Et qvamvis ex posita sententia forte concedendum sit, neqve à Principe, neqve consuetudine tolli defensionem sui posse, illud tamen vix concesserim, illum, qvi se occidi permittit, simpliciter & qvo-vis casu damnari posse, non aliter ac si seipsum occidisset, qvin potius considerandum videtur, an aliorum multum interfit, ut, qvi invaditur, sit superstes, an vero iste sibi duntaxat videatur vivere, qva de re infra. Sententia vero qvæ defensionem sui in relatione ad aliud considerat, properea minus accurata videtur, qvia si recte res perpendatur, non tam sui qvam alterius est defensio.

§. V.

Sententia Pufendorfi figuraento videtur nisi Grotiano quasi status qvidam fuerit ante judicia constituta, ubi quis manu sua potuerit repellere a se injurias. vid. Grot. de J. B. & P. lib. I. cap. 2. §. 1. Non autem arbitramur consistere posse societatem sine judiciis saltē inter populos moratores: qvis enim unquam ex Historiarum (sive sacræ sive profanæ) monumentis talem deprehendit statum? qvis affirmaret vere, qvod ipse Adamus mortaliū primus, in statu vixerit naturali, cum multò se superiorem agnosceret Creatorem? mox cum nascerentur Cain & Habel, erant statim qvibus imperaret Adamus: Ille jam Fraticida extruxit urbem qyam juxta filii primo geniti nomen vocabat Hanoch, & aliquos congregavit in qvos exercuit imperium; qvod multò magis seqventibus factum est temporibus.

§. VI.

Illis deniq; qvi ex scitis religionis Christianæ suam ponunt sententiam, considerandum relinqvim9, utrum in ejus-

ejusmodi consternatione otium sit, ut quis ejusmodi ratiōnum momenta accuratius secum examinet, cum eo omnes intentae sint cogitationes quo modo præsens mors declinari queat. Item, utrum is, qui invaditur, adeo præsente semper sit animo, ut non spatio a liqvo opus sibi existimet, componendæ animæ, & subducendis vitæ rationibus. Neq; consentaneum puto rationi, magis me debere esse sollicitum de anima alterius, quam alter is te de sua est. Et tralatum est, ejus periculi non haberit rationem, in quod quis sua seconjecit culpa, & ex quo se, quando vult, facile potest liberare.

§. VII.

Ut igitur quid in isto sententiarum divortio statuendum, ex veris & genuinis principiis demonstremus, præsupponimus primò, autorem hujus universi quemadmodum creaturas reliquias: ita et præcipue hominem illarum dominum non fortuitò, sed sapientissimo prudentis moq; consilio condidisse, suāq; providentia infinita, ut reliquias res a se creatas omnes, ita et hominem ad finem certum, nempe colendam societatem humanam destinasse, quam ad desertoris instar aut infrequentis militis destituere haud quicquam potest. Secundo jus nobis in nosmet ipsos nullum competere, sed potius Deo conditori, sicut alioquin civiliter Domino in servum, quatenus servus jure Romano inter res recensetur: adeoq; quod ego me teneam conservare, id non debeo mihi, sed Deo & societati humanae.

§. VIII.

His præsuppositis ita sentimus: Quamdiu Conditori meo me tanquam partem hujus universi superesse & conservare placuerit, tamdiu ad nutum ejus subsisto; tamdiu autem videretur præsumptio esse, haud displicere voluntati ejus ut subsistam, quamdiu non constat mihi de contraria ejus sanctâ voluntate, ideoque tam diu media ad mei conservatio-

nem

nem idonea adhibendi jus, immo mandatum habeo. Quamdiu voluntas Dei mihi contrarium non injunxit.

S. IX.

Negamus itaque & pernegamus, permisam duntaxat à jure naturæ defensionem, quin potius mandatam, adeoque juris esse præceptivi, tūm ex principiis juris naturæ, tūm juxta placita prudentum afferimus.

S. X.

Svadet enim non tantum; sed & præcipit recta ratio, ut proximum diligamus, ut nosmet ipsos; nascitur quippe ille amor ex cognitione, quæ est inter omnes homines, ex uno scilicet semine & sanguine progenatos. Si autem debemus proximum diligere, sicut nosmet ipsos, amoliri ab illo omnem vim in justam & defendere tenemur, videlicet, ita ut norma illius dilectionis & defensionis constituatur *éauλοφίλια* sive dilectio sui ipsius. Id enim homo habet commune cum omnibus animantibus, quibus sensus sui inest, ut seipsum quam maxime amet, sequi ipsum studeat omnibus modis conservare. Et iste, quidem cuiuslibet erga seipsum amor regulariter tam validus est, ut quævis inclinatio erga quemvis alium hominem ipsi cedat. Hinc Euripides Medea: Τὶς δέ ψυχὴ θνητῶν ἀρτὶ γινώσκει τόδε. οὐς τῷας τις ἀυτὸν τῇ πέλας μᾶλλον φιλεῖ; Λοις verò mortalium jam non novit hoc, quod quisque seipsum magis quam proximum amet, & Isocrates de pace: Εμοὶ δοκεῖσθαι ἀπαντεῖ μὲν Πτιθυμεῖν τῇ συμφέροντι καὶ τῇ πλεόν ἔχειν τῶν ὄντων; Mea sententia universi mortales utilitatis sua studioſi sunt, & in eo elaborant, ut plus possint alii. Cūm igitur proprius amor omnes alias considerationes

tiones longe supereret, non potest non naturaliter homo
in pari cum altero periculo constitutus, sibi potius quam
alteri consulere, & diligendo defendere contra vim, &
potius suam vitam servare quam alterius; occidere ag-
gressorem, quam vita sua jacturam negligenter facere.

§. XI.

Patet quoque ex supra suppositis, non modo licitum
esse; sed teneri omnino hominem ad tuendam eam statio-
nem, in qua Deus ipsum esse voluit; sicut enim miles qui
Iusti Imperatoris vigilias habet, stationem suam citra gra-
visimas desertae stationis poenas, deserere non potest,
sed contra insultus hostium, omnibus viribus eandem
tenetur defendere, ita quoque homo vitam a DEO sibi
commendatam citra vindictam Divinam pro lubitu ag-
gressoris deserere non potest; sed omni modo, & ni aliter
fieri possit, cum morte quoque invasoris tueri, vimque inju-
stam a corpore arcere tenetur.

§. XII.

Porro potest occidi si fur nocturnus lege divina, quae
extat Exod. XXII. 2. cui convenit lex Solonis, quam ita re-
fert Demosthenes, Orat. contra Timocratem: si quis de die su-
pra quinq[ue]vaginta dyachmas furatus fuerit, ad undecim viros
adduci ipsum licere; si vero noctu quodcumque furatus fuerit, hunc
licere occidere, & inter se sequendum vulnerare, & ad undecim-
viros abducere, si quis velit. sic Plato de LL. 1. 9. νύκτως
Φόρος εἰς ὀνειράν εἰσιόντα ἐπὶ οὐλοπῆ χρημάτων
ἔαν ἔλῶν οὐτέν τις ναθαρὸς ἔσω. Qui nocti su-
rem domum suam ingressum interemerit, mundus esto.
Eadem lex in XII. translata, quae simpliciter ait. si furem
nocturnum quis occiderit, jure casum esse, diurnum vero, si se telo
defenderit. Et huc facit quod habent Cicero in Orat. pro Mi-
lon. itemque Seneca L.X. controv. ult. furem nocturnum quoque

B

moda

modo occidi potuisse. Ratio legis & liciti hujus homicidii Doctoribus non est eadem; sunt qui volunt, licitum esse, bona mea tueri, etiam cum periculo vitae illius, qui ista invadit; aliis vero rectius periculum personæ reddere justam furis vel alterius raptoris occisionem, non autem periculum rerum statuunt, quod presumtio sit, factum esse homicidium vitae tuendæ causa. Qvicquid hujus sit, non video, quomodo potuerit DEUS justissimus legem de impunè occidendo fure nocturno promulgare, nisi defensionem sui juris esse naturalis statuas. Quod si enim posteriorem complecti velis sententiam, habemus quod volumus, sin priorem, sua sane sponte sequitur: si lege Divina possum occidere furem nocturnum, & bona mea tueri etiam cum periculo, vitae illius, qui ista invadit, multo magis praeligere debeo defensionem vitae meæ, praesertim cum Apostolus dicat. 1. Timoth. vers. 8. *qui suis non providet, ille fidem amisit, & deterior est Gentili;* Contingit autem in tali casu, si vita meæ sim prodigus, ut neglectim habeam meos, & conseqventer deterior fiam gentili, cui lumen naturæ aliud hic dictitat.

§. XIII.

Præterea non effugit homicidii inculpationem, intercessionem alterius permittens, quam evitare potuisset, valente etiam hoc in interiori foro: multò magis proinde in propria persona eadem metuenda; cùm recta ratio proximi dilectionem secundum sui ipsius amorem seu regulam dicit dimensurandam, ut supra dictum. Aut itaq; asserendum, jure naturali homicidium non esse prohibitum, aut concedendum, justam & necessariam defensionem adversus injustum aggressorem juris esse naturalis præceptivi.

§. XIV. Ac-

§. XIV.

Accedit, qvod multa reperiantur in homine media ad conservationem spectantia, qvalia sunt: appetitus se conservandi salvum & incolumem, à natura i. e. providentia DEI sapientissimi homini tributus ac conservatus, cui appetitui rursus subserviunt, appetitus edendi, bibendi, acutus doloris sensus, ardor vindictæ (qvæ inclinationes iā se non sunt malæ, qvamvis proper perversam nostram voluntatem tendant ad malum) manusq; nobis propugnandis habiles. Igitur, cum hæc omnia frustra nobis à Deo data non sint (Deus enim & natura nil faciunt frustra) certò licet inde colligere, Deum velle, ut istas conservando mihi adhibeam, adeoq; juris natura præceptum esse, corpus suum tām diu defendere, qvamdiu non constat de contraria ejus voluntate. Atq; huc spectat elegans Ciceronis in Orat. pro Milon. sententia: *Est hæc, dicens, non scripta, sed nata lex, qvam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expresimus, ad qvam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut, si vita nostra, in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset: omnis honesta ratio esset expedienda salutis; silent enim leges inter arma, nec se expectare jubent, cum ei qui exspectare velit ante injusta pœna lueda sit, qvam justa repetenda: unde & illud Quintiliani VII. c. 8. egregium: Est natura lex illa, qvæ in omnibus valet, ut velint vivere, idq; ipsum est, qd propter eos, qvæ vita manifestè nos volunt spoliare, hostes censemus.*

§. X.

Ceterū ut defensio sit justa atq; legitima, moderamen inculpata tutela requiritur, moralem certitudinem faciens, tūm de infesto alterius in me animo, tūm de læden- di destinatione, ut, ni prævenire malim, primus mihi sit

B 3 iktus

ictus exspectandus. Ubi parum angescias Philosophice
qvorundam Jctorum habere videtur distinctio; dum sci-
licet distingvunt inter *moderamen defensionis*, & *modera-
men defensionis inculpatæ*; nam ipsum vocabulum mode-
raminis dicit jam aliquod inculpatum, & ut moderata-
sit defensio, necesse est, fieri eam secundum rectam ratio-
nem. Ut verò moderamen sit inculpatæ tutela, reqvirunt
seqventia: 1. ut *Invasoris violentia* sit subita si inopinata, adeo,
ut invasus consideratis omnibus circumstantiis non pos-
si benigniori & faciliori modo vim invadentis prohibe-
re: stulte enim cum eo manus citra necessitatem confe-
ro, si ipsiviam possum intercludere, qvo minus ad me
accedere valeat, qvippe cum *omnia prius*, quam *armis* ex-
periri sapientem deceat. Qvinimo suæ salutis ipsum vo-
carem Proditorem, si ultrò periculo se exponit, quod
commode ac prudenter satis declinare poterat. 2. requi-
ritur, ut *invasio* sit continua h. e. ut invasor perseqvatur
frustra deprecantem injuriam. Prudentis enim est de-
suo jure potius remittere aliquid, quam intempestiva
defensione majori sese ut exponat periculo. 3. ut *violenta*
sit injusta, dum immerntem violentissimis suis ad-
versariis petit manibus, à qyo ipfi nulla unquam illata
est injuria. 4. ut *periculum sit in mora*, nec detur tempus
adeundi judicem, atque ab ipso implorandi auxilium.
Utiqve enim periculum esset in mora, si invasus manum
in finu fovere vellet, nec prius sui adhibere defensionem,
quam ad Magistratum sibi illatam detulisset injuriam.
5. Ut *propulsetur vis aut injuria in continenti*, non ex inter-
vallo: si enim ex intervallo fieret, vindicta potius quam
defensio foret. Tandem qvoqve 6to requiritur, ut *stat*
tantum defendendi non uliscendi animo: & nihil aliud pro-
priè spectetur, quam defensio periculi, sive id, quod ad ar-
cendum vitæ periculum, & in quantum opus est.

S. XVI.

§. XVI.

Dubium circa primum oritur: an, quando aggressio non est subitanea sive inopinata, sed alter interficere sodalem decreverit tantum, fas sit, hunc ante aggressiōrem, ne interficiatur ipse, interficere? Affirmat *Molina*, Tom. 4. tract. 3. disp. 12. quando aliter periculum mortis alter evitare nequit, & præterea non conjecturâ tantum licet magnâ; sed certò scit, decrevisse alterum sibi mortem. Verum, quia vix casus est dabilis, ut quis aliter evitare periculum nequeat: neque alteri constat, annon propositi sodalem penituerit, ideo solum metum, solasque minas haud sufficere; sed semper aggressionem requiri arbitramur. Et crassè nimis philosophantur, qui crepant; qui tibi nocere potest, idem & vult, ergo citra ullam aliam causam ipsum opprime, si salutem tuam amas. *Enimvero* isthac doctrina omnem inter homines societatem destruit, & qui pro illa citantur auctores, vel audiendi non sunt, vel opponendum illis argutum illud *Vibii Crispi apud Quintilianum lib. 8. cap. 5. quis tibi ita timere permisit?* Hoc optimè quoque vidit summus ille Eloquentiae Romanæ Princeps *Tullius in Orat. pro Tullio apud Quintilian. lib. 5. c. 13.* dum, *quis hoc, inquit, unquam statuit, aut cui concidi sine summo omnium periculo potest*, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur. Multum, inquit, *Hugo Grotius l. c. lib. 2. cap. 1. §. 5. falluntur & fallunt,* qui metum qualemcumque ad ius occupanda interfectionis admittunt. *Verè enim dictum est à Cicerone, primo de Officiis:* plurimas injurias à me proficiet, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne id sibi fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo.

§. XVII.

Non autem requiritur, primum iustum ut quis sustineat;

stineat; sed aggressio sola offendendi animum præ se ferens, sufficit: & quamvis inculpatæ tutelæ moderamen angustis satis sit circumscriptum limitibus, nihilominus initium temporis, qvô quis propter defensionem sui alterum occidere potest, commodissimè inde sumi posse existimat moralium Doctores, qvando aggressor stricto me accedit gladio, & nunc est in illo loco, ut confondere corpus meum possit. Tunc plumbeum illum & stupidum puto, qvi non statuat, qvod melius sit prævenire quam præveniri; ad innocentiam enim defensionis mee sufficit, inquit CL. Dn. Puffend. comment. de Jur. Natur. & Gent. lib. 2. cap. 5. §. 5. pag. 214. qvod alteri non sit jus ad me invadendum & occidendum, neque in me sit, mortem citra reluctantiam subeundi obligatio. Qyanquam enim innocentibus in providentia Divina magnum sit positum præsidium, ne qvidquam tamen sibi miracula coelitus pollicetur, qvi in torpore resolutus suarum rerum ipse non satagit.

S. XVIII.

Verba, ut non posse benigniore & faciliori modo vim invadentis prohibere, non adeo strictè sumenda; sed cum aliquia latitudine, quam perturbatio animi ex præsentia tanti periculi enasci solita indulget, qvæ non fert, ut quis omnes actionis circumstantias, omnesqve evadendi vias, æqvè posse perpendere, ut ille, qvi animo tranquillo extra periculum constituitur. Simile judicium de fuga facio censeoqve, non obligari jure naturæ fugere eum, qvi ab aggressore petitus, & in dubio vita discrimine constitutus, salutem suam defendere vult; maximè, qvod fuga insignem fugientis famæ ac existimationi notam maculamqve inurere videtur, qvod eqvidem non tantum de Nobilibus atqve militiæ deditis, ut vulgo putant; sed qvibus-

q̄ibusvis generosæ mentis hominibus intelligendum existimo. Neque enim à privilegiis & eminentiis nobilibus positivo jure ex civilibus rationibus concessis, ad nostrum defensionis actum, conscientiam naturalem omnibus hominibus communem, pertingentem, universalem duci seqvelam, persuaderi mihi patior..

§. XIX.

Qvod si vero insultatus in dubio vitæ discriminæ constitutus non sit, veluti, si quis, cùm præ foribus suis staret, potuerit adversarium minitantem, & ad se pergentem, arcere occluso ædium suarum ostio, aut se recipere absqve periculo in ædes proximi, omnino fugere tenetur. Cujus rei gratiâ notandum, actum fugienti in motu consistentem à termino fugiendi, seu, ut concisius dicam, fugam ab effugio accurate discernendam esse. Illa enim ut moralem supponit incertitudinem evitandi instans invasoris periculum; ita hoc finitum & certum sat is notat aggressionis imminentis evadendæ remedium. Vid. Grot. de Jur. B. & P. lib. 2. cap. 1. §. 10. Neque etiam in ejusmodi fuga turpe quid, aut Nobili etiam atqve militari viro indignum est; quippe qvæ non suscipitur ex ignavia, aut neglectu officii; sed qvia ratio nullam hic fortitudinis exferendæ materiam invenit, si citra necessitatem civis sit occidendum, abs qvo me tutum præstare poteram.

§. XX.

Inepta autem illorum videtur solicitude, qvi anxiè disputant, an ad inculpatam defensionem qvoqve requiratur armorum paritas, quasi verò aggressores semper prius invasionem denuntiant, & qvibus sint usuri armis,

U

ut otium sit alteri congrua arma parandi, aut quasi defensio ejusmodi inopinata possit exigi ad leges ludi gladiatori, quinimò, cum armorum similitudo & æqualitas in æquilibrio civili consistat, cui lex certa dari nequit, potius geometrica quam arithmeticæ proportione, & ex circumstantiarum qualitate diligenter inspecta & perspensa, æstimanda erit, ut, si quis stricto gladio ad me properet, neque mihi tutum pateat suffugium; ego autem, sclopeto sim armatus, tunc rectè id in ipsum displodo, quando longiusculè adhuc abest, ne, si nimis adhuc appropinqvaverit, telo meo uti nequeam.

§. XXI.

Id circa alterum moderaminis inculpatæ tutelæ re-
quisitum qværi solet: Utrum, quando invasio est conti-
nua, invaso intendere aggressoris necem moraliter liceat?
Thomas 2. 2. *qvæst.* 64. *artic.* 7. non licere asserit, qvod eo
paecto judicialis punitio, qvæ publica expeditur auctoritate,
& eo jure, qvo quis custos vitae suæ, expedienda. Ast e-
nim verò, extrellum periculum, in qvo invasus constitu-
tus est, vix admittere videtur, ut ipsi tam subtile inten-
tionis in defendendo leges posint præscribi. Nec video
qvomodo Thomas dogma suum defendere queat; Qvod
si enim in casu extremæ necessitatis licet ex ipsius senten-
tia aggressorem occidere, licebit qvoque occisionem illam
intendere; eum enim qui vult finem: velle etiam
media ad finem ducentia, perinde seqvitur, ac in specula-
bilibus conclusio expræmis. Vid. *Domin. Soto de J. &*
J. cit. loc. Leonh. Lesfius de J. & J. lib. 2. cap. 9. dub. 7. nec non
Ludov. Molina de J. & J. T. 4. disp. 11. num. 4. Et ex hoc recte
Gregorio de Valentia Tom. 4. disp. 5. qvæst. 8. punct. 4. nimis
durum

durum videtur, obligare hominem in ea necessitate constitutum ad ejusmodi metaphysicam. Interim tamen, juxta Hug. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 1. num. 4. notanda intentionis diversitas: Intentio defensionis debet esse primaria, internacionis verò intentio plane secundaria, & non nisi cum lucta quadam.

§. XXII.

Diximus porrò, reqviri offensionem injustam. Qvando igitur Exules, qvos Bannitos vocant, famosi item & publici Patrones, trans fugæ, nec non defortores militiæ, ob bonum publicum justè offenduntur, corundem defensio est injusta; nam si aggressor, velut publicæ justitiae Minister, jus habet occidendi proscriptum, qvod omnes fatentur, seqvitur qvod proscriptus ei injuriā inferat, & publicæ potestati resistat, si se defendendo aggressorem mutilet vel occidat. Curandum tamen, addit. Filliuccius qu. moral. Tom. 2. tract. 29. c. 2. n. 23. ut ab sit animus vindictæ & odii, qvod intercedere potest ob privatas offensiones. Conf. H. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 20. n. 17.

§. XXIII.

Contra verò evenire potest, ut offensio eqvidem sit injusta, offendens verò sit persona in summo potestatis civilis fastigio constituta. Qvæstio igitur moveri sollet; utrum etiam in tali casu invalus in summo vitæ periculo constitutus defendere se etiam cum internecione, Principis possit? sunt eqvidem qui affirmant, qvod naturalis ratio defensionis, respectum istum subjectionis excludat, & ejusmodi invasor non Principis; sed latronis personam induat. vid. Fernand. Vasqv. controvers. lib. 1. cap. 18. §. 10. Ast enim verò, non est amplius legitima,

C

de-

defensio, qvæ subditos in imperantem armat, qvi propter Majestatem Divinam nullo sub prætextu piè læcit. Qvinimò qvalicunqve modo occidatur, etiam per defensionem, concurrit qvædam poena. Jam vero contra ordinem civilem est, ut inferior superiorē puniat.

§.XXIV.

Intricatior res videtur: qvando Princeps est Tyrannus. Fuere sanè & adhuc sunt solidæ eruditio[n]is viri, qvi hoc non solum licitum, sed & laudabile afferunt. Lips. lib. VI. politic. V. erectioris spiritus auferre Tyrannum, quam ferre statuit, neque se reprimere, cum sciat Graecos homines deorum honorem tribuisse iis, qvi Tyranno[n]s necaverunt. Parum abest ab hac sententia Clapmarius: quamvis dicat, se malle τὸ ἐτέχειν sustinere V. arcan. 19. Clarius vero mentem suam explicat Boxhornius 2. Instit. Politic. 4. thes. 45. inquietus: Ubi tamen ad summum iniq[ui]tatis gradum evecta est tyrannis Principum & modestia, patientia & supplicacionibus nibil est profectum, tollere Principes aut eos ejicere, eorum imperium exuere, omnino licitum esse existimamus: conf. Th. 49. nec non 53. & 54. Et sanè vix primo intuitu aliter dicendum videtur. Princeps enim, cum DEI vicarium, in terris exhibeat, & potestatem acceperit non ad mala & libidines, sed salutem commodaq[ue] Reipubl. transgreditur limites officii sui in innocentes lœviendo, & ad cædem innocui civis nullum imperium instruit imperantem, quo simul concessa videtur resistendi licentia, qvia à defectu imperii ad obseqvii negationem recte concluditur. Ast enimvero, qvando sanctissimam Principis personam, summamq[ue] Majestatem immediatè à D E O ip[s]i collatam consideramus, tantum abest, ut vestigiis eorumdem insistamus, ut omnia potius æquo animo tolle-

ran-

randa, remque totam DEO committendam, quam eo pa-
cto crimen læse Majestatis committendum statuimus.
Majestas namque non in pio solum atque virtuoso; sed
in pio quoque atque vitiis dedito Principe radicatur. Ne-
que etiam factorum turpitudo sceptrum excutit, quippe
quæ extrinsecus saltem advenit, adeoque rei naturam
nullatenus mutat, ad instar aquæ impuræ, & hominis al-
terum necantis: illa manet aqua, licet impura, & hic
manet homo, licet malus & homicida. vid. Grot. de J. B.
& P. lib. 2. cap. 1. §. 9.

§. XXV.

Non minor latet disquisitionis difficultas, si filius à
Patre vi præsente invasus in illud perducens periculum, ut
unius vita alterius productura necem? Lessius de J. & J.
lib. 2. cap. 9. dub. 8. in ea est sententia, quod Patrem, inju-
stus vitæ aggressor si existat, occidere liceat, quando nul-
lo alio modo filius vitam suam servare potest, quod ag-
gressorem tunc interficiat, non Patrem, cuius potestas de-
beat in pietate, non atrocitate consistere. Rectius verò
mortem filio perferendam censet Frid. Balduinus Cas. conc.
lib. IV. cap. 1. cas. 14. quia amorem Parentis antefert amori
sui. vid. B. Dn. D. Dorsheus cit. loc. §. 674. Neque etiam
Henrico Henniges obser. in Hug. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 20.
§. 8. si vivat in Republ. jureque civium communii utatur,
cum interficere posse filium afferenti, ausim assentiri;
quamvis enim potestatem domesticam independentem
Majestas ad se trahat, inde tamen nullum filio jus Patri
necem inferendi accrescit, cum arctissimum illud necessi-
tudinis vinculum, quod inter Patrem & filium interce-
dit, ne quidem per violentam invasionem rumpatur.;
& honor insuper Parentibus debitus non in opere tantum

& verbo, sed & in patientia consistat. Unde Cicero in-
orat . pro Sexto Roscio Amerino : Si vultu, inquit, quod pre-
clare à sapientibus dicitur, sepe latitur pietas, quod supplicium
satis acre reperiatur in eum, qui mortem obtulit Parenti, pro
quo ipsum mori, si res postularet, jura Divina ac humana
cogebant.

§ XXVI.

Disputari quoque circa præsens momentum inter-
Moralistas solet : An periculum accipiendæ alapæ, aut si-
milis mali, jus faciat illud cum cæde intentantis arcendi ?
Grotius lib. 2. de J. B. & P. cap. 1. §. 10. evideat censet, non
repugnare justitiae expletrici. Quanquam enim, inquit,
inaequalia sint mors & alapa, tamen, quia injuria me parat af-
ficere, is mihi eo ipso dat jus, h.e. facultatem quandam mora-
lem, adversus se in infinitum, quatenus aliter malum illud à
me arcere nequeo. At verò cum nulla hic sit inter defensio-
nem & læsionem, quam justitia naturalis exposcit, pro-
portio, manifestè etiam illud repugnet inculpatæ tutelæ,
quo sui defendendi causa aggressorem interficere, ei sol-
lummodo permisum est, qui periculum mortis aliter
evadere nequit, sine dubio sententia hæc etiam ad legem
naturæ examinata, parum roboris habebit. Neque etiam
jus in infinitum adversus eum, qui alapam minatur, com-
petit, cum ex illis minis, metus tantum incutiatur alapæ
infigidæ : Metum autem solum limites moderaminis
inculpatae tutelæ excedere supra §. XIV. probavimus.

§. XXVII.

Falsus nostro judicio est & Guil. Grot. de princip. Jur.
Nat. §. 6. ubi acerrimè propugnat, quod existimationis
læsæ eadem sit ratio ac vitæ ? Quanquam enim vitæ com-
parari soleat fama, & crudelis esse dicatur, qui eandem
ne-

neglit, atque adeo sit æquum, ut quilibet existimatio-
nem suam tueatur contra alterius injuriam; non tamen,
suaferim, ut eandem adhibeas defensionem, quam natu-
ræ leges tibi concesserunt protuenda vita. Nam reparari
fama potest legitimis remedii, non autem amissa semel
vita, ut eruditus satis docet *Magnif. Dn. D. Strykius in Differ-
tatione, quam inscribit: Jus hominis in se ipsum cap. V. p. m. 94.*
Falsum quoque est, alicujus honorem per alterius contu-
meliam per se tolli, qui sanè valde in lubrico esset positus,
si abs cuiuslibet petulantis libidine dependeret. Deinde,
contentus ex accepta injuria in honorem redundans à
Magistratu potest aboleri, & pensari, gravi mulcta læden-
ti imposta, eodemque adacto, ut laeso publicè honoris si-
gna exhibeat, non autem proinde jactura vite. Posito,
famam alterius injuria ablatam tibi esse, quis, contra na-
turæ leges te peccasse diceret, si continuo contradicendo
defenderes innocentiam tuam, & convitiatorem ipsum,
ex lege talionis provocares, haberetque pro viro infami
deplorataeque fidei, donec tibi crimen, quod inure re co-
natus est probaverit: docente *Hennig. in Hug. Grot. de J. P.
& P. lib. 2. cap. 20. p. m. 865.* Absit autem statuere per mor-
tem detrectatoris famam ablatam posse recuperari. Conf.
Osiandr. in H. Grot. l. c. p. m. 629. & 630.

§. XXVIII.

Quæri jam ulterius solet: an licitum sit alterum in-
terficere, quin non vitam eripere, sed pudicitiam intendit,
qvando vis aliter repelliri nequit? *Hug. Grot. lib. 2. de Jur. B.
& P. c. 1. §. 7.* quin id pro pudicitia liceat, controversiam
vix habere putat, cum non tantum communis æstimatio,
sed & lex divina pudicitiam vitae adæquet. Adstipulatur
Puffend. de J. N. & G. lib. 2. cap. 5. §. 11. Idem apud Judæos

qvoqve juris fuisse, ostendit Seldenus de Jur. Nat. & Gent.
lib. IV. c. 3. apud Ebraos, inqviens, tantus comitabat nr favor
defensionem corporis & pudoris, ut non solum is, qui invadet
tur, per se invasorem cum cæde repellere; sed & alter innocentem
oppressum cum cæde invasoris defendere posset: idqve
non tantum, si vitam alterius aggredetur; sed & si cum
masculo vellet concubere, aut alterius sponsam comprimeret.
Verum enim verò, cum pudicitia moraliter considerata,
sit bonum animi, qvod nulla vi extrinseca, si animus be-
nè sit communitus, eripi potest, non possum, qvin illis
pollicem premam, qvi negativam tuentur; præsertim
qvod rationes Grotii atqve Pufendorfii parum ponderis
habere videantur; qvod enim defensione vite apud omnes
terè populos æqviparetur pudicitia, id non simpliciter
est accipiendum; sed ratione defensionis alias licitæ, &
conservationis illius moraliter possibilis, tuitionis nem-
pe, per exclusionem proprii consensus aut concursus in-
illius jacturam. Lex verò divina, qvam crepat, in scri-
ptura non legitur, qvippe qvæ nusquam dicit, qvod pu-
dicitia etiam cum internecione invasoris sit defendenda.
Neqve mihi sua distinctione satisfecit Henniges obser. in
H. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 1. §. 7. qvod eqvidem is, qvi
actu intulit corpori vim, non sit occidendum; sed ad pœ-
nam Magistratui tradendus; ille vero qvi voto suo non
dum est potitus; sed neqve qverelis, neqve minis deter-
rei à proposito possit, rectè occidatur; qvamvis enim
attentatio illa pudicitiae atrox sit, tanta tamen vix videt-
ur, ut extemporaneæ interfectioni vim inferentis sit
proportionata. An illæ virgines sint landandæ, qvæ, ne
pudicitiae jacturam faciant, sibimetipsis potius vio-
lentas imponunt manus? nostrum non est hoc loco in-
quirere; siqvidem hoc ad præsens thema non potest ac-

com-

commodari; ventilabitur autem proximè, volente Deo,
illa quæstio, in disputatione nostra, cuius inscriptio erit:
Quid homini liceat in vitam. Qvocirca ut in statu præsentis
maneamus controversiæ, hæc tantum paucis addimus:
qvod nimirum, qvemadmodum pro honore & existi-
matione non licet interficere invasorem, ut §. anteceden-
te probavimus; ita etiam pro tali specie honoris non
liceat interficere; occidens enim, quantum in se est, spo-
liat invasorem, non solum bono hujus vitæ, sed & alterius,
qvod crudelissimum. Rectè hinc *B. Augustinus lib. I. de*
lib. Arbitr. cap. 5. nefas esse pro tuenda pudicitia interficere i-
nustum oppressorem, statuit, qvæ, inquit, *Virtus pudicitie amiti-*
ti non potest, sine proprio consensu ejus, qdī oppressionem pati-
tur; in potestate vero cujusq; est, non consentire. Eleganter
etiam de *Lucretia*, propter stuprum à Tarquinio illatum,
vindictam in se ipsam exerceente, *Ovidius cecinit:*

Si fuit ille Tibi Lucretia gratus Adulter

Immerita ex merita premia morte capis.

Verum si casto vis est illata pudori

Quis furor alterius criminе velle mori?

Laudem igitur nullam captas Lucretia, namque

Vel scelerata cadis, vel scelerata ruis.

S. XXIX.

Cæterum non ex intervallo & postquam jam pugna
sedata est; sed in continenti, durante adhuc offensione,
& imminente periculo defensionem sui fieri debere, su-
pra asseruimus. Qvæ res non exiguum creat difficulta-
tem Moralium Doctoribus, disqvirentibus, qvænam de-
fensio in continenti, & qvænam ex intervallo facta,
qvando item moderamen inculpare tutelæ ratione tem-
poris

poris servatum, & qvando in eo dicatur excessum. *Hugo Grotius de J. B. Et P. lib. 2. cap. 1. num. 5.* congruum qvod inter offensionem & defensionem intervenire debet spatium descripturus, periculum præsens & qvasi in puncto reqvirit: alii verò non præcisè de momento temporis, sed cum aliquo temporis spatio accipiunt, qvod spatium nonnulli ad triduum, alii ad decendium, alii ad quindecim dies, nonnulli ad tres menses, qvidam denique ad quatuor menses extendunt. Fateor Grotianam intervalli delineationem naturæ rei magis convenientem esse, qvam reliq' vorum, propter plurimos actus extraneos, qvi tanto temporis intervallo intervenire, suiq' ve defensionem hactenus legitimam, reddere possunt illegitimam, modo subjecisset Grotius simul, unde petenda illa puncti latitudo, ex qva dignosci certo poscit, terminos proportionis debite in defendendo observatos probe esse nec ne Latinis illi actus in continentia facti perhibentur, qvi mox, illico, statim, confessim, ex vestigiō & sine mora aut ulla temporis intercapidine expediuntur. Ita Ciceroni Demosthenes *spiritu continentis*, i. e. qvi non intermittitur, recitasse dicitur aliquot versus, & Cæsari, *laboreris continentis omnia superare h. e. non intermisso*. Utrum verò in hoc actu morali, ob summam perurbationem animi ex præsentia tanti periculi enasci solitam, adeo strictè & in rigore Critico sint sumenda, vix asseruerim. Et ideo me non erraturum conjicio, si Grotio loc. cit. eandem fuisse mentem, asserenti, in moralibus non inveniri punctum, sine aliquo latitudine, subscriptserim.

S. XXX.

Ex dictis igitur sequitur, contra jus naturæ invasum minimè peccare, si non statim eo momento, quo invasus

invadentem interimat, exposcente hoc tūm æqvitate,
naturali, tūm utriusqve invadentis & invasi probè con-
siderata conditione. Suppetit enim invadenti spatiū
pœnitendi, & à nefando proposito tempestivè desistendi,
sat longinquum, invaso autem ne minima ad deliberan-
dum de evitando tanto periculo temporis intercapedo
permittitur. Qvo pejor igitur invadentis conditio, eò
melior vicissim invasi judicanda: semper enim injuria
accepta ad favorem, illata ad odium valere debet, eti-
am inter eos, qvorum alias nihil interest. Qvod si tamen
defensio continuo aut ordine immediate successivo ex-
pedita fuerit, major oritur præsumtio, qvæ occidentem
sublevat, ut in probando moderanine inculpatæ tutelæ
eò facilius proficere possit, qvia jus justo melius nanci-
scitur. Aristot. V. Ethic. ad Nicom. cap. 4.

S. XXXI.

Interea sedulò cavendum, ne intervallum plus justo
extendatur, itemqve ne admisceantur actus extranei.
Qvando enim defensio non fit in aggressu ipso, atqve,
in pugna continuatione, flagrante adhuc offensione &
conflictu, sed aliquo temporis intervallo post aggressio-
ne in præterlapso, legitima defensio in illegitimam rursus
degenerat offensionem. Contingit enim fæpe numero,
ut rixantes advenientium forte, & utrorumqve animos
conciliare intendentium auxilio ab invicem aliquandiu
fuerint divulsi, postea verò, brevi tamen ac modico in-
tervallo post aggressionem præterlapso, invasus ira per-
citus, & affectus ex doloris vehementia regere satis ne-
sciens, invasorem denuò invadat, cumqve occidat. Hunc
sanè terminos defensionis justæ excessisse liquet; qvia

mediatoris auxilio Internecionis periculum jam evasit,
& ex faucibus quasi aggressoris fuit ereptus. Vid. *Fernand.*
Vasqu. controv. illusfr. lib. 1. cap. 18. num. 21.

§. XXXII.

Ut denique defensio justa sit atque legitima, requiritur, ut fiat tantum defendendi, non ulciscendi animo, adeoque sit mera defensio, ut recte loquitur *Grotius lib. 2. de f. B. & P. S. 1. cap. 10.* qui tamen privatam etiam approbat vindictam *loc. cit. lib. 1. cap. 5. S. 1.* eamque ex professo laudat & propagnat *lib. 2. cap. 20.* si jus nudum naturae id est, abductum à legibus divinis humanisque, respiciatur. Num vero jus naturae ita abduci queat à legibus divinis, ut diversum quid contineat, aut à norma naturae naturalis deviare possit, de eo quidem valde dubitamus, neque concedimus *Grotio*, quod æquitas naturalis ejusmodi vindictam exposcat, quin potius jure naturali eandem prohibitam, nec puniendi licentiam partiles concessam esse, omnino persuasi sumus. Primo enim certum est, hominem ad societatem naturam ferri, & quidem maximè ad eam, quæ inter marem & feminam est, ex naturali cupiditate propagandi speciem, de qua *Aristot. lib. 2. de generat. anim. cap. 1. & 2. DELL*s, inquit, cum finis sit omnium rerum, omnesq; res in eum ferantur, quam simillime etiam ipsi feri cupiunt, maximè autem aeternitatem ejus affectant, quam cum individua propter natura copulam afferantur, queant, in specie eam querunt, & propagare sibi simile student. Dein æque certum est, naturalem esse societatem inter Dominum & servum. Ex quibus societatis oritur dominus, itidem natura impellente, uti hæc eleganter expōnit,

nit Aristoteles lib. 1. polit. cap. 2. seqq. Porro omni qvoque
dubio caret, nullam ejusmodi societatem posse constare,
sine imperio & subjectione: Denique ipsa recta ratio do-
cet, potestatem & imperium absqve jure coercendi atq;
puniendi mancum esse atq; cluſorium. Consequevitur
itaq; in omni societate, non minus potestatem coercen-
di a natura esse, quam regimen & imperium ipsum. Jux-
ta haec igitur principia, si societatis civilis originem spe-
ctemus, societatem videlicet domesticam, sua sponte se-
quitur, in ea vindictam privatam jure naturae fuisse pro-
hibitam, remq; omnem ad patrem familias velut caput
familiae deferendam, ipsiusq; arbitrio atq; coercitioni
committendam fuisse. Convenientibus igitur in unam
societatem civilem familiis pluribus, non potest non
vindicandi injurias jus atq; potestas apud solum supe-
riorem residere, non vero in privatis injuria affectis. Ideo
enim, inquit, Magnif. Dn. D. Zieg. not. ad Hug. Grot. lib. 2.
cap. 20. §. 8. qva subjectio & Imperium est a natura, penes sub-
jectos autem nullum est imperium aut coercendi potestas, neq;
vindicta quædam, qva nihil aliud est, quam potestas coercen-
di, penes subjectos erit. conf. Thom. 2. 2. qv. 64. art. 3. Adde
qvod confusissimè illa civitas turbaretur, in qua cuivis
liceret despicere judicem, & semetipsum vindicare qvo-
niam sèpissimè sub colore juris & æqui infirmiores &
miseri homines à potentioribus opprimi possent, ubi ni-
hil aliud præter vim valet, qvod diffidentias, secessiones,
conventicula & tumultus, prætentissima Reipubl. vene-
na, gignere consuevit. vid. Domin. Soto de J. & J. lib. V. qv.
1. art. 3. Ludovic. Molina Tom. 4. tr. 3. disp. 2. num. 1. & n. 10.
de J. & J. itemq; Paulus Layman. Theol. moral. lib. V. tr. 3.
part. 3. cap. 2.

§. XXXIII.

Atque haec in thesi, circa quam nonnullis ideo scrupulus obortus fuit, quod per defensionem sui cum internectione proximi utique laedatur aut perdatur nosti similis homo, quocum ad alendam vitam socialem adstringimur, & quo extineto, civis privatur Respubl. & parenti jacturam videtur facere, quam si ipsis pereamus. Ast vero, quamvis hominem ad pacem cum sui similibus degendam natura ducat, tandem tamen quandoque negat, ubi aliter per alterius injuriam salvi esse non possumus, dum pacis officia mutua imperat. Quando igitur alter societatis pacisque vinculum rumpit, efflagitare sane non potest, ut ego ipsum deinceps sacrosanctum habeam, quin potius, dum eo pacto ad recipienda a me pacis officia ineptum sese reddidit, omnis mea cura ad expediendam propriam salutem revocatur, quae ubi citra laesione ipsius servari nequit, sibi imputet, qui me ad vindictam istam adegit. vid. Puffendorff. lib. 2. cap. 5. §. 1. de Jur. Nat.

& Gent.

§. XXXIV.

Nonnulli id imprimis objiciunt, quod vindicta privata, ad quam defensio quoque suispectat sit contrajus nat. Hoc vero, dicunt, adeo est immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat sicut enim, ut bis duo non sint quatuor, ne a Deo quidem potest effici, ita ne hoc quidem, ut quod intrinseca ratione malum est, malum non sit. Verum, quamquam immutabile sit jus naturae, contingit tamen nonnunquam variatio eorum, quae juris naturae sunt, non quod mu-

mutatio in lege fiat, sed propter adventum circumstantiae,
qvæ extrahit objectum è numero eorum, qvæ lex comprehendebat: qvare fit, ut absqve omni mutatione legis per dictamen rectæ rationis aliquid jure naturæ justum sit, qvod regulariter, non considerata illa circumstantia...
injustum videri poscit. conf. Thomas. 2.2. qu. 57. art. 5. Domin.
Soto de J. & J. lib. 1. qu. 5. artie. s. ut & Molina de J. & J. Tom.
1. tract. 1. disp. 4. Licet igitur jus naturæ privatam vindictam prohibeat, si tamen corpus impetratur vi præsente cùm periculo vita non aliter vitabili, tunc eodem jure justa est vindicta: & vide tur ipsum jus naturæ excipere. eam, qvæ fit defensionis gratia in continentia, adhibito rationis moderamine, sicut docet Vasqu. lib. 1. illuſtr. quæst.
ca. 1. num. 3. & Valentia loc. sup. cit. Tom. 3. & disp. v. quæst. 8.

S. XXXV.

Alii leges charitatis Christianæ maximè prætendunt, qvia, si invadens in injusto constitutus fervore, occidatur, otium non habet componendæ animæ suæ seu, ut sarcinas colligat ante quam proficiatur è vita ut loquitur Varro de re rustica lib. 1. cap. 1. & sic æterna privatus vita, æterna perit morte. Expoferet igitur charitatem Christianam, ut salutem proximi æternam temporali nostræ præferamus, ut supra §. 2. horum sententia fuit adducta. conf. Thomas 2. 2. qu. 26. art. 5. & Leonh. Lessius de J. & J. lib. 2. cap. 9. dub. 8. num. 5. Qva de causa etiam Nicolaus Papa Osvvaldo Chorépiscopo Quadrantino in c. 6. distinet. so. rescripto, Clericum se defendendo Paganum occidentem sacerdotali debet recare officio, adeo, ut licet peracta sit pænitentia, tamen non poscit ad prijtinum gradum redire, qvia Papa non tribuit

D 3

ipſis

ip̄is licentiam, q̄emlibet hominem q̄olibet modo occidendi.
Eq̄idem fateor, si q̄væstio, q̄id homini naturaliter licet
pro vita, non amplius in thesi seu q̄voad *ovynq̄ow* ;
sed in terminis id est, hic & nunc conscientiæ dijudicandæ
secundum circumstantias, qvis, q̄id &c. proponatur,
nonnunquam judicari posse, hic & nunc corpus non
necessariò esse defendendum, sed licere id saltē vel me-
lius esse, vitam indefensam relinq̄ere, q̄vam alium occi-
dere; sed notandum, q̄væstionem tunc non esse de prin-
cipiis primis, q̄væ statim cuivis hominum, etiam plebejo-
patescere debent; sed esse conclusionem remotiorem ex
principiis denum per ratiocinationem deductam. Cha-
ritatis obligationem q̄vod attinet, ad procurandam æter-
nam proximi salutem, ea non est universalis; sed in casu
extremæ necessitatis denum obtinet, qvando nempe
proximus noster indiget auxilio, q̄vod de injusto invaso-
re dici nequit. Ipse enim cum in necessitate constitutus
non sit, etiam non indiget mea ope, sed omissa injusta
aggressione, sibi ipsi consulere potest. Et q̄vemadmo-
dum alteri pecuniam q̄vi habet, fame tamen perire ma-
vult, qvam ut det alteri pecuniam, indeq̄ue panem sibi
emat, non sum obligatus mea ope ipsi subvenire pecunia-
dum sua culpa perit: ita vicissim non obligor invasori
suæ saluti satis prospicere valenti. *Qvanam, inquit, Domin.*
Soto de f. & f. lib. V. qu. i. art. 5. effet justitia in lege, qvæ sub-
ditos cogeret, ut vitam, qvam mortales tanti æstimant, cu-
juscunq̄ve temeritati & audacie dono darent. De mandata-
enim unicuique suæ non autem alienæ vitæ cura; illam
igitur si servat, ordinatæ charitatatis à seipsa incipientis le-
ges exseq̄uitur. Qvid q̄vod adversa sententia majorem
tribuit favorem improbitati, qvam pietati; sic enim sem-
per.

per pii homines nefariis latronibus cogerentur jugulum, præbere, ne, dum resistunt, isti damnationem æternam incurant. conf. H. Grotius lib. 2. de j. B. & P. lib. 2. cap. 1. §. 8. & cap. 3. §. 3. & condemnanda vicissim omnia essent bella defensionis causa publicè suscepta, atque ita, ut loquitur Ludovicus Molina de j. & j. Tom. 4. disp. 13. num. 2. acreferent mala, iniisque multiplicarentur in Republ. cum longe majori detimento spirituali eorundem iniqvorum quam, si in defensionem justam iutersici permitterentur. Conf. Leonb. Lessius de j. & j. lib. 2. cap. 9. dub. 8.

§. XXXVI.

Sunt denique qui propterea defensionem sui cum intercione proximi reiciunt, quia, homicidium ad servandam vitam esset licitum, etiam alia mala, quæ eundem possunt habere finem, fierent licita, quod tamen impium & falsum, cum non sint facienda mala ut inde eveniant bona. verum enim vero probe hoc loco norandus diversus respectus; alter, quem intendit defendens est conservatio sui ipsius, alter qui vel contra vel præter ipsius contingit intentionem, exitium vitae alienæ. Ille sane per se & natura est licitus atque honestus, quoniam conservacionem sui cuique & amor longe tenerimus, & ipsa ratio commendat; alter vero vitiosus esse non potest, quia non intenditur, & sit absq; proæfisi; *Morales enim actus ex eis speciem sortiuntur, quod in intentione & proposito agendi consistit, ab eo autem quod accidentarium est, nihil laudis vel vituperii accipiunt.*

Domin. Soto de j. & j. lib. V.

artic. 18.

X 2615914

W07

B.I.G.

Black

19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	0
Centimetres																			
Inches																			
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black											
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	

Farbkarte #13

1686 13
16
Morale iini natu-
ita liceat,
TORE
no, Nobilissimoq;
FRIDER.
ARDTO,
ilof. Assessore
ssimo,

re ac Praeceptore
etatem proseqvendo,
o disqvirendum.
ludit. Major.
OR
JACOBUS
FOHT,
elsat.
VI. ad D. 24. Jul.
CELII.